A.I.L. 11.

AZ UNITÁRIUS CONFESSIO
1577-BEN.

E.B. 4° 94.

Consensus Ministrorum Anno 1579 die
2 Julÿ Claudiopoli in nomine Domini con:
gregatorum, de diuinitate, adoratione, inuocatio:
ne, regnoque Christi, ex libris sub Rege mortuo
impressis ac publicatis.

1 Credimus et confitemur Iesum illum à Nazareth
esse filium Dei Altissimi Unigenitum, dicique Deum
juxta genuinum sensum scripturae sacrae propter
has causas:

1. Quia conceptus est de Spiritu sancto, Matth. 1. Luc. 1.
2. Quia unctus est Spiritu sancto et virtute prae suis
consortibus, et accepit Spiritum sine mensura. Joh. 3.
Hebr. 1. Act. 10. Luc. 4.
3. Propter potestatem et gloriam, quam Pater illi in
Coelo et in terra, postquam resurrexit à mortuis,
plenarie dedit. Rom. 1. Phil. 2. Matt. 28.
Eph. 1. Act. 2.
4. Quia Deus Pater in plenitudine temporis restau:
rauit et condidit omnia per ipsum, deditque illum
nobis ut per illum saluemur, et vitam aeternam hae:
reditatem accipiamus. Ephes. 1. 3. Col. 1. 1 Joan. 5.
Act. 4. Rom. 3. Joh. 3. 5. et 6.

2. Hunc eundem Jesum Christum credimus colen-
dum et adorandum esse, quia Pater dedit omnia filio,
Matt. 11. et praecepit ut illum audiamus, in ipsum
credamus, ipsum colamus et adoremus Matt.
3. 17. Ideo omnes thesauros sapientiae et sci=
entiae in eo abscondidit Col. 2. Et ex plenitu=
dine eius et nos omnes accipiamus. Joh. 1. Et
fecit colentes filium colamus Patrem, et cre=
dentes in filio, credamus, quia Pater in filio
honoratur. Joh. 5.

3. Confitemur quod Jesus ille verus Messias dum
fuit in terris contulit et etiam nunc confert
bona spiritualia fidelibus per verbum et Spi=
ritum, Ideoque invocandus est, propterea e=
nim a Deo Patre in illum bona omnia collo=
cata sunt, ut illa ab ipso confidenter in veris
necessitatibus petamus et speremus. Etiam
quod posteaquam exhibitus in mundum venit, ad
ipsum multi confugierunt, dicentes: Jesu
fili David miserere mei, Matt. 15. Marc. 10.
Item. Domine Jesu suscipe spiritum meum, Act. 7.
Et qui tamen ut Deus ille Pater ex quo
omnia invocatur 1. Cor. 8. neque etiam eadem
forma

forma invocationis, qua Patrem invocamus, nem=
pe dicendo, Pater noster qui es in coelis. Verum ra=
tione, ut id quod Deus Pater illi contulit, certi
simus Christum id nobis opulenter largitur, quem=
admodum ipsemet promisit: Quicquid petieri=
tis in nomine meo ego faciam Joh. 14. Item E-
go dabo vobis os et sapientiam Luc. 21. Item,
Vitam aeternam do eis Joh. 10. Licet vero eo per-
fecto Mediatore noster est, ut nihil nobis defi=
ciat aut quod nihil ab eo petendum, expetandum
atque etiam sperandum sit, cum eo fine omnia a
Deo Patre suo Christi acceperit, ut ab ipso
ea omnia, in nos, tanquam membra ipsius deri=
ventur.

M. ACADEMIA KÖNYV...

4. Dicimus etiam cum scriptura sacra quod Jesus
ille Christus, qui dicitur Caput nostrum, sit nunc
quoque solus Rex, et regat per spiritum suum fide=
les suos, dominiturque super vivos et mortuos.
Rom. 14. Immo quod regatoria verbo potien=
tia sua Heb. 1. Nam Christum ideo Pater no=
bis dedit, ut in suis fidelibus nunc regnet, et
illis vitam aeternam conferat, et ipse est solus
sub coelo, in cuius nomine nos salvos fieri oporte=
at, Act. 4. et quamvis 1. Cor. 15. dicatur,
tunc

tunc futurum finem, quando filius tradiderit regnum Deo et Patri, et cum omnia fuerint illi subiecta; non tamen ideo consequitur Christum verum Deum, Regem et Pontificem nunc non esse, cum ibidem dicatur, Oportet eum illum regnare, donec illi omnia subijciantur.

Sequentes breves propositi Ecclesiae, ad 2. diem Julij, 1579 Claudiopoli conuocatae, quos si Ministri non obseruabunt inobedientiae crimen et poenam incurrant, quam ipse Superintendens unà cum Consistorio statuet.

1. Ne quispiam de controuersijs istis et nouitatibus vel publice vel priuatim docere, disputare aliquid audeat.

2. Ne disputent pro suggestu, nec varijs et inutilibus opinionibus in medium productis miseram plebem perturbent, sed incumbant potius in hoc ut omnes auditores ad bona opera adhortentur.

3. Ut publica precatio ad Patrem per Iesum Christum cum recitatione orationis Dominicae in initijs concionum retineatur. In fine vero loco benedictionis cum dimittitur populus, ista verba dicantur semper, quae extant apud Paulum 2 Thes. 2.

Ipse

Ipse vero Dominus noster Iesus Christus, et Deus ac Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem aeternam et spem bonam per gratiam consoletur corda vestra et stabiliat vos, in omni sermone et opere bono. Amen.

4. Ne Minister quispiam audeat locum mutare vel sibi ipse eligere alium absque consensu Superintendentis et Consistorij. Postremo promittit Consistorium unà cum Superintendente totam Ecclesiae reformationem veram secundum scripturam et toti coetui proponetur.